

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

LIIIX.

Viro Clarissimo, Laurentio Tuppio, J. U. D. & Argentoratensium Profefiori.

S. P. Vir clarissime.

CUM sim occupatissimus, brevitatis compendio uti cogor. Hoc autem minus tibi erit molestum, quod pleraque, quæ ad te quoque scribenda à me erant, ex Generoso adolescente, Victore Althanio, intelligere commodè possis. Cum enim necesse mihi fuerit, ad literas, ab ipso ad me nuper datas, respondere, de industria copiosius ad ipsum rescripsi, quod & patri ejus sum devinctissimus, & ipsum adolescentem ob ingenium ejus elegans & præclarum vehementer amo. Itaque à te peto, ut quæ in meis ad eum literis de Christophoro Polæo Silesio, amanuensi meo, juvando scribo, ad te quoque scripta, eademq; à te petita esse tibi persuadeas, ostendasque meas hæc ad te literas, quoad ejus fieri tuo commodo possit, non inanes fuisse. Nunquam enim cuiusquam ministrorum meorum fui studiosior, nunquam magis de aliquo juvando fui sollicitus. De Sambuci quoque nostri morte repentina, ex meis ad Althanium literis cognosces. Ad Sturmium quoque scripsi multa, quæ & ipse fortassis tecum communicabit. A te verò peto, Tuppi doctissime, ut quando doctissimi senis, optimèque de republ. literaria meriti, vitam & mores satis cognitos exploratosque habes, ut vitæ ejus conscribendæ semina colligere velis, eaque ad me mittere, ut in eam incumbere curam possim, ut si quando ipsi aliquid contigerit humanitus, stylo libero (quod vobis isthic vix licere existimo) totum hominem & fortunam & actiones describere & in omnem posteritatem propagare ejus memoriam queam: non quidem quod istic non sint homines me longè doctiores, sed quod, uti dixi, locorum longinquitas & mea à civitate vestra absentia faciat, ut neminem reformidans & à veritate nihil desectens, id quod res est, describere intrepidè queam. Vale, vir clarissime, meq; amicorum tuorum catalogo perpetuo adscriptum habe. Data Viennæ, XIV. Junii, 1584.

Tui studiosissimus

Hugo Blotius.

LIX.

Joannes Sturmius, Rector, Doctissimis & optimis Viris, Doctori Laurentio Tuppio, & Magistro Philosophia, Philippo Glasero, Collegio suis S. P. D.

CHRISTOPHORUS POLÆUS, qui has vobis reddit, mihi commendatus est diligenter à D. Blotio: audio etiam vobis commendatum esse. Oro vos, ut